AUGUSTUS. III.

Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq., nec n. Hæreditarius Dux Saxoniæ, Princeps & Elector.

Significamus præsentibus Literis Nostris quorum Interest, Universis & Singulis. Quod cum Serenissimus olim Joannes Tertius Antecessor Noster, per speciale Privilegium su-
um, de Data Cracoviæ, in Comitijs Regni Generalibus, felicis suæ Coronationis, die vigesima quinta mensis Martij, Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Sexto, in Ci-
vitate Nostra Oeconomica Vieliciensi, Nundinas octo quolibet Anno, tribus continuis diebus celebrandas, in eodem suo Privilegio expressas, constituisset. Ita quoque Nos ad sup-
plicationem certorum Consiliariorum Lateri Nostro assidentium, nomine & pro parte Spectabilis Magistratus, & totius Communitatis, Civitatis Nostræ Vieliciensis Nobis
factam, rationes & utilitates dictæ Civitatis, majoraq. ejus Incrementa facere cupientes, faciendum esse duximus, ut præfatæ Civitati Nostræ Vieliciensi, nundi-
nas adhuc quatuor quolibet Anno, superaddere dignaremur. Quorum Supplicationi uti justæ, benigne annuentes, easdem quatuor Nundinas quolibet Anno su-
peraddendas esse duximus, prout præsentibus Literis Nostris, scilicet ultra Nundinas in anteriori Privilegio, sive Privilegijs constitutas, Nundinas, in die Dominica post
Festum Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis; Item in die dominica post Festum Annuntiationis Beatissimæ Mariæ Virginis, necnon in die dominica ante Festum
S. Jacobi Apostoli, atq. ultimas, in die Dominica, ante Festum Sanctorum Simonis & Judæ Apostolorum, extra tamen aliarum vicinarum Civitatum & oppidorum præjudi-
cium, superaddimus & constituimus. Pro quibus nundinis liberum & licitum volumus omnibus Mercatoribus, Artificibus, ac cujuscunq. Status & conditionis Ho-
minibus, cum mercibus, ac rebus suis, nec non equis, Bobus, alijsq. pecudibus venire, ibidem negotiari, emere, vendere, res pro rebus commutare, et alia ejus generis in pu-
blicis Civitatum Regni Nostri Mercantijs, & nundinis fieri solita negotia licita, & honesta expedire, ac demum sine cujusvis Impedimento redire, modo tales sint, quibus
bonum consortium non est denegandum. Excessivos vero & sediciosos, ac tumultus excitantes, pro qualitate delicti, exnunc puniendos, Magistratui Nostro Civili Vieliciensi
serio injungimus. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviæ Die V. Mensis Aprilis
Anno Dni MDCCXXXIX. Regni vero Nostri Anno VI.

Augustus Rex

Superadditio quatuor Nundi-
narum Civitati Vieliciensi.

Theodorus de Howel Scholast. Cathed. Livonien.
Canonicus Culm. S. R. Mtis & Sigilli Major. Regni
Secretarius.

No 2

1739

iiij